

facere, ornate loqui, explicare controversias rhetorum more; nihil aliud die noctuque agere quam spiculis meditari summaeque voluptatis divinaeque artis credere ferire destinata. Parcus cibi somnique et vini ac libidinis victor; cunctisque esset plenus bonis, si ad cognoscendam reipublicae regendae scientiam animum intendisset, a qua prope alienus non modo voluntate, sed etiam exercitio fuit. Nam dum exercitum negligeret et paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, anteferret veteri ac Romano militi, adeoque barbarorum comitatu et prope amicitia capi*, ut nonnumquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. Hoc tempore cum Maximus apud Britanniam tyrannidem arripuisset et in Galliam transmisisset, ab infensis Gratiano legionibus exceptus Gratianum fugavit nec mora exstinxit. Qui vixit annos XXIX.

48 Theodosius, genitus patre Honorio, matre Thermanthia, genere Hispanus, originem a Traiano principe trahens, a Gratiano Augusto apud Sirmium imperator effectus regnavit annos decem et septem. Huic ferunt nomen somnio parentes monitos sacravisse, ut Latine intellegimus a deo datum. De hoc etiam oraculo in Asia divulgatum est eum Valenti successurum, cuius nomen e Θ et E et O atque Δ Graecis litteris initiaretur. Qua cognatione principii deceptus Theodosius, cum sibi imperium deberi praesumeret, scelestae cupidinis supplicia persolverat. Fuit autem Theodosius propagator reipublicae atque defensor eximius. Nam Hunnos et Gothos, qui eam sub Valente defatigassent, diversis proeliis vicit. Cum Persis quoque petitus pacem pepigit. Maximum autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat et sibi Gallias vindicabat,